UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes, mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Caput Decimum. Remedia adversus luxuriam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

Visual Library

valde neceſſaria, quæ de hac difficultate alibi *d* dedi.

d *In Meth. Conf. li. 2. c. 1. §. 11. à num. 75.*

CAPVT DECIMVM.

Remedia adverſus luxuriam.

1. HIc id breviter attingere, operæ pretium erit. Et quidem colligit decem remedia Fauſtus, *a* duodecim Peyrinus. *b* In promptu autem erant alia quinque, neſcio, an cæterorum efficaciſsima.

a *Barth. à S. Fauſto in Theſ. Rel. li. 3. qu. 57.* b *Peyrinus t. 1. q. 3. c. 2.*

2. Primum remedium humilitas, & oratio: nam noſtra fragilitate cognita, ad Deum eſt confugiendum. Secundum, ſobrietas. Tertium, veſtium aſperitas, ſeu cilicia. Quartum, carnis mortificatio. Quintum, cuſtodia ſenſuum. Sextum, vitatio occaſionum, & præſertim fuga converſationis mulierum. Septimum, virilis reſiſtentia. Octavum, Scripturarum ſanctarum meditatio. Nonum, fervens Dei dilectio. Decimum, mortis, & æternarum pænarum viva meditatio. Vndecimum, non occultas fovere in ſinu tentationes, ſed eas ſtatim Patri ſpirituali patefacere. Duodecimum, fugere otiũ.

3. His ergo addatur remedium decimum tertium, ſubita cogitationis malæ fuga: Vt primum tentatione titillaris, ſtatim, repente, ſurge, recede, fuge à loco, à cubiculo, à lecto, ubi moraris, & negotium aliquod quantumvis frivolum cum magna ſintentione gerendum ſuſcipe.

4. Decimumquartum, Dei ſummi judicis viva præſentia. *In deſiderijs vero carnis*, ait S. Benedictus, *c nobis Deum credamus ſemper eſſe præſentem, cum dicat Propheta, Domine ante te eſt omne deſiderium meum.* Pſal. 37.

c *S. Bened. in Reg. c. 7.*

5. Decimum quintum, frequens, & aliquando quotidiana Confeſsio apud eumdem confeſſarium, prudentem & pium; ſed adverte illud (eumdem) quo remedio recidivi cujuſcumque criminis ſi utantur, fieri vix poteſt, ut non facillimè curentur.

6. Decimum ſextum, frequens communio, juxta illud: Et *vinum germinans virgines*; lege Suarez, *d* qui tantam continentiam in tanta juventute noſtrorum in Collegijs degentium, frequenti ſacræ Euchariſtiæ ſumptioni, quæ apud nos de ſancto more uſurpatur, acceptam merito refert.

d *Suar. 4. to. de Rel. t. 10. li. 4. c. 3. in fine.*

7. Addatur ultimum naturale, ſed certè ſatis efficax medicamentum, diſceſſus à præſentia impuri objecti. Veneficio quidam ad puellam amandam urgeri vulgo dicebatur; præſentius amuletum non fuit, quàm diſceſſus ab ea urbe, ubi commorabatur mulier. Quem quidem diſceſſum ab adoleſcente exoraverunt difficillimo conatu conſanguinei, ſed eo exorato, in ſanitatem, non multo poſt, illum rediſſe læti cognovimus.

Finis Libri Septimi.

LAVS DEO, BEATISSIMAE VIRGINI, AC B. ALOYSIO.

LIBER

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN